Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 953

Quelle:
Copyright:

quam in *Cod.* noſtro non parum mendoſum ſit, medelam tamen hinc inde impreſſis adferre poſſet. Subſcriptum eſt:

Finis adeſt operis mercedem poſco laboris.

II. *fol.* 109. minio: *De ſanctitate meritorum et gloria miraculorum beati karoli magni ad honorem et laudem nominis dei.* Tractatum hunc alius itidem *Bibliothecae Aug. Codex* inter *Hiſtoricos profanos* numero DCLXVI. exhibet, quem *Lambecius* L. II. p. 329. recenſendo aliquo nos labore levavit. *Lambecii* recenſum in *Analector. Vindob.* T. I. *col.* 468. *Kollarius* tranſtulit, ſubjecto *Gentiloti* judicio, qui *Bollandi* ad diem XXVIII. *Jan.* ſententiae innixus totum opus otioſi ac frivoli hominis centonem ex *Eginhardo* aliisque *Carolo* coaevis et ſinceris Scriptoribus, ſimul et ex vaniſſimis *Pſeudo-Turpini* fabulis contextum ſtatuit, quibus cordatus quisque inſpecto *Codice* calculum facile adjiciet. Ut tamen horum virorum dicta breviter colligamus, opus in tres *Diſtinctiones* abit, quarum cuilibet *Proeemium* praefixum eſt. Capita omnium trium *Diſtinctionum* Prooemio *primo* ſubjecta ſunt, e quo diſcimus, Autorem Anonymum tempore *Friderici* I. Imp. atque adeo circa an. 1165. quo elevatio, translatio et canonizatio *Caroli M.* facta eſt, ſcripſiſſe *Micrologum*, cujus a ſe de eodem *Carolo* conſcripti meminit, a praeſenti opere diverſum non putamus. Initium hujus Prooemii eſt: *Etſi paſſim et varie odoris pigmentarii veneranda orthodoxi Karoli Magni celebretur memoria* &c. Exemplar utriusque Codicis aequaliter procurrit usque ad *Diſt.* III. c. 4. Hic vero interpolationes, tranſpoſitionesque incipiunt. Exemplar praeſens in his verbis ſiſtit: *in remedium anime ſue ſuorumque inſtituit.* Alterum integro *Capite* ſuperat, ut ſuo loco dicetur. Plura, ut diximus, *Lambecius* et *Gentilotus ſupracit.*

CCLXVII. VII. B. 7.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 190. f. nitide ſcriptus et rubricis diſtinctus continet *S. Paterii* Rom. Eccleſiae Notarii et Secundicerii, Scriptoris Sec. VII. *Expoſitionem V. T. ex Libris Gregorii M. Pont. Rom. concinnatam*, ſuaſore ipſo beato Viro, cui familiaris fuit. Praemittuntur I. *Decretum* de Teſtium numero ad condemnandum Epiſcopum, Presbyterum, Diaconum &c. requiſito ex *Concilio Rom.* ſub *Silveſtro* I. quod incipit: *Et Epiſcopus vel presbyter non dampnetur* &c. extatque apud *Labb.* T. I. *Concil. col.* 1542. II. *Decretum*, quo varii ab excommunicatione eximuntur, ex *Concilio Rom.* IV. ſub *Gregorio* VII. celebrato an. MLXXVIII. quod incipit: *Quoniam multos peccatis* 84